

ALIUD.

Titan bis decies lumine fulgido
 Perlustravit Olympi roseas domos,
 PORTAE cum Choragus diceret inclytæ,
 Diffundit vitreo quam Sala flumine.
 Talem constitui iudicio prius
 Perpensum, studijs fructiferum modum,
 Ut quando dapibus guttura solverent,
 Vel famæ epulis pulsa recederet,
 Gaudentes Claros visere rivulos,
 Argutum pueri concinerent melos,
 Contextum varijs dulcisonis modis,
 Et grates agerent æthereo Patri,
 Nutu qui moderatur vaga sidera.
 Hos cantus etiam reddere publicos
 Gaudebam: mihi sed restitit invidum
 Fatum: non eadem sors mihi prospera
 Evenit, tibi iam qualiter obtigit.

Nidos ædificat pennigerum genus,
 Ex florentibus herbis & apicula
 Exsugit melius, mellæq; conficit,
 Non ipsis: alijs hæc bona serviunt:
 Sic & quos studio principio meo
 Contentus dederam, tempore postero
 Cum sprete ruerent, nec studio pari
 Urgerentur, eos corpus in aureum
 Collectos renovas, pluribus additis
 Auges, usibus & reddere publicis
 Iam gestis, quoniam per placet hoc opus
 Musarum studiis utile suavisonis.
 Quapropter faveo, quod tibi contigit
 Nunc fautoribus uti meliusculis,
 Qui ceptum studium promoveant tuum,
 Ut sic fama domos scandat Olympicas.

Sethus Calvifius, Cantor ad D.
 Thomæ Lipsiæ.

MArtia bella canant alij, furtivaque Matris
 Gaudia Acidaliæ, factæve clara Ducum:
 Laomedontæ quondam sub mœnibus altis
 Troiæ, aut Leucrorum, quos cecidisse ferunt:
 Te verò primùm BODNSCHATZI, ante omnia docti
 Cantica sacra juvat disposuisse manu:
 Quæque juventuti teneræ, templisque, scholisque
 Commoda (lova juvet) plurima ferre queant.
 Maeste nova virtute, sacris vir dedite Musis,
 Et quâ cœpisti pergere, perge viâ:
 Sic te Musa mori, per dignum laude, vetabit:
 Sicque decus surget maius, honosque tibi.

Zacharias Schilterus Lipsensis,
 opt. art. Baccal. F.